



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

4. Quænam sit melior Amplificatio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

ipse, qui iudicaret, ut statim è medio supplicio dimiserit, ut eius facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertinere.

O præclarum Imperatorem! nec iam cum Marco Aquilio fortissimo viro, sed verò cum Paulis, Scipionibus, Mariis conferendum.

Tantumne vidisse in metu, periculoque provincie, cum servitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiae fugitivorum videret, ne quis se commovere auderet, quantum terroris iniecit? comprehendi iussit, quis non pertimescat? causam dicere dominos, quid servis tam formidolosum fecisse videri præauntyit? exortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisse.

Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatu, & cruce: hisce omnibus supplicij sunt liberati.

In hoc opinor exemplo satis apparet vis fuisse illius amplificationis.

Primum rem proponit nuda, & simplici oratione; In *Tricalino*, quem locum fugitivus iam ante tenuerunt. &c.

Poterat, & quod reliquum erat, vno verbo dicere, soluti sunt. At quibus artibus fundit orationem? Primum, ut solet, suspendit animos.

Quid deinde? quid censetis furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam. Nolite usque quaque, & cætera, quæ satis late explicantur, mox.

Expectate facinus, quàm vultis, improbum. Vincam tamen expectationem omnium.

Tandem quod antea inchoarat, de crimine exponit longè illustrius.

Nemine sceleris, coniurationisque damnati, &c.

Inde ad epiplexin delabitur.

Quid hoc loco potes dicere, homo amentissimo, nisi quod ego nõ quæro, quid, aut quantum, aut quomodo accepit.

Hoc perurbanum est.

Quid nis bone custos, defensor que provincie?

Commoratio est, quid enim aliud dicit, quam quod antea bis attigit de crimine, sed novis verbis, novis sententijs, & figuris, novis etiam adiunctis.

Ex eo transit in locum communem, Perdita civitates, & ex symptomatis communibus vim morbi colligit.

Ad summum, ipsum factum pertentat, & agit per ironiam. O præclarum Imperatorem &c.

Diceres accipitrem, circa prædam iam certam, lento alarum remigio, quasi ludibundum circumvolare.

### Quanam sit melior amplificatio.

#### CAPVT IV.

QVod si quis à me quærat, quæ tandem melior sit amplificationis forma, an tumens illa lateque subsultans, an pressis illigata rationibus, & argumentis.

Secundam planè alteri omnes, qui modò *Conferatur* gustum vllum habent sincerae eloquentiæ, uterque dubio præcul anteponit: sed evenit nonnùm modus ars, quàm, ut tales sint auditores, qui fuso, & luxuriant sermone ambitu capiantur, quales nisi ferme plebeie sunt, & pueriles aures, quibus, nisi eisdem sententijs paulisper immutatis, sapius inculcatis, propter ingenij imbecillitatem, vix assequuntur.

Quamobrem solent cum istis oratores, veluti sinuosis orationis flexibus inter se recurrentibus ludere. At certè apud politas, & negotiosas aures, hæc ratione amplificate, ut eandem planè rem dicas, commutes, & expossas, non modò putidum est, sed penè intolerabile. Quis enim hæc orationem ferat?

Nullum tantum est periculum, quod sapientis pro salute patriæ vitandum arbitretur. Cui *nugatoria* augetur incolumitas perpetua civitatis, qui amplificationis bonis erit rationibus præditus, profectò nullum vitæ discrimen, sibi pro fortunis Reipublicæ fugiendum putabit, & erit ea sententia semper, ut pro patria studiosè, quamvis in magnam descendat vitæ dimicationem.

Hoc sanè est pueriliter ludere, non eloqui: Quanto illustrior est ea amplificatio, ubi res proprijs verbis, crebris sententijs, novis insuper adiunctis exponitur, hæc etiam si nullæ admirationes, aut suspensiones, miserationes, inuectivæ, execrationes, & figure simul accedant, tamen afficit vehementer, qualis est ista Ciceronis, qui nusquam mihi videtur effuscatus amplificare, quàm cū aliquid narrat, ut 7. Ver. pag. 490. numero 116. ubi de miserorum supplicio: *Pulchra ratio simplicis amplificationis.*

Includuntur in carcerem condemnati, supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum, prohibentur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis cibum, vestitumque ferre.

Patres hi, quos videris, iacebant in limine, matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret.

Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorque sociorum, & civium licitor Sextius, cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur, ut adeas, tantum dabis; ut cibum tibi initio ferre liceat, tantum, nemo recusabat. Quid, ut vno ictu securis afferam mortem filio tuo? quid dabis, ne cinericietur? ac sepius feriat? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecunia licitori dabatur. O magnum, atque intolerandum dolorem! id grauem acerbamque fortunam! non vitam liberum, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes.

At ipsi etiam adolescentes, cum Sextio de eadem plaga, & de vno illo ictu loquebantur, adque postremum parentes suos liberi orabant, ut leuandi cruciatu sui gratia licitori pecunia daretur: multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi, veruntamen mors sit extrema, non erit. Estne aliquid ultra, quod progredi crudelitas possit? reperietur. Nam illorum liberi non erunt securi percussi, ac necati, corpora feris obijciuntur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem.

Tum numero 141.

Hæc cum maxime loqueretur, sex licitores circumstant valentissimi, & ad pulsandos, verberandosque homines exercitissimi: cadunt acerrime virgis, denique proximus licitor (de quo iam sæpe dixi) Sextius conuerso bacillo, oculos misero tundere vehementissime cœpit. Itaque ille, cum sanguis os, oculosque complexer, concidit, cum illi nihilominus iacenti latera tunderentur, ut aliquando spondere se diceret. Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus. Ille autem homo venerator, & affluens omni lepore, & venustate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit. Sic etiam fortunis hominum abutebatur, ad nocturna vota cupiditatum suarum.

De materia, & formis, seu metodo amplificationis.

CAPVT V.

Primum quidem amplificatori prudenter spectandum censeo, quid materia ad dicendum proposita ferat, aut patiat. Neque enim existimandum est omne genus argumenti capax esse amplificationis. Sed ut cetera modicè calefacta singentis sequitur manum, & nullo negotio diduci, fundique potest: contra verò à lapide haudquaquam illud exprimas, ut admoto igne, humanaque industria distendatur: ita profectò euenire solet in amplificationibus, quædam enim argumenta mirificè nata sunt ad arguendum, quæ si, vel digito leuiter attingas, statim suo opte velur ingenio fundentur, quasi concatenatas in se rationes diffusionis habeant.

Alia verò longè exiliora sunt, quæ vix orationis cultu possunt splendescere. Quænam igitur, in quiete, amplificationem patiuntur?

Hoc prudentiæ est oratoriæ præuidere, nec temerè omnia per amplificationem dicere.

Primum res minutæ, & exiles hanc orationis laxitatem non admittunt, quas si operosa industria coneris amplificare, idem facias, ac qui tornando, singendoque milio stodium, & operam poneret. Verùm egregia laus est res paruas extollere, & ex muscis elephantos facere? Nō nego, festiui esse ingenij, quod multi disertis homines fecerunt, res aliqui contempnas, ut muscam, & febrem orationis beneficio, in excelsum quandam attollere speciem granditatis: sed nego id ipsum pertinere ad orationem grauitatis.

Itaque, qui hæc scribunt, ludere se profitentur, & nos ludentes suspicimus, quos si ferriò loqui putaremus, amentes potius, quam eloquentes iudicaremus, quod contra communem omnium mortalium sensum nitentur. Quemadmodum igitur in myrmecidijs, cum nauiculam audimus, aut quadrigam eburneam muscæ pinnulis interceptam, bellissimi ingenij, & delicatissimæ manus industriam probamus, non tamen ut ista, vel elegiacos versus, sesamo subtiliter incisos Ioui Olympio, & Myrmecidem Phidias anteponamus. Simili quoque ratione minutias istas rerum quæ ab epigrammatistis, aut eucomiastis ornari, amplificariq; solent, lau-

damus

Materia amplificationis apta quærenda est. Non ex omni ligno Mercurium, nec ex omni argumeto nascitur amplificatio.

Res minutæ non sicut capax amplificationis, nisi forte in ludis, & facetijs.